B N. C
FIRENZE
1076
1

1076.1

DE CHARTA

Ejuſque Uſu apud antiquos.

FRANCISCI MARIAE NIGRISOLI
Med. Doct. Ferrarienſis

EPISTOLA

Ad Praſtantiſſimum & Clariſſimum Virum

D. LIBORIVM BRIXIANVM

In almo Ferrarienſi Gymnaſio

PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ
Profeſſorem Ordinarium.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

VENETIIS, M. DC. XCIX.

Typis Hieronymi Albricii.

SVPERIORVM PERMISSV.

CVm diebus proximè elapſis à me poſtulaſſes, Vir præſtãtiſſime, quiſnam fuerit primus Auctor Chartæ, qua nunc paſſim utimur, & cui potiſſimùm præclari adeò inventi laüs debeatur, ſtatim alacri, & lubenti animo me tibi ſatisfacturum promiſi, facile mihi fore arbitratus in hac re tibi morem gerere, tuiſque obviam ire mandatis. At ubi promiſſis ſtare, & tabulæ, uti dicitur, manum admovere volui; ſtatim non leve mihi onus incumbere, nequè facilem adeò me ſuſcepiſſe provinciam, compertum habui. Altum enim de hac re inveni ſilentium apud omnes illos variæ eruditionis Scriptores, quos huc uſque perlegi; Nulluſque adhuc occurrit, à

quo aliquid mutuari poſſem, quod facem accendat in re adeò obſcura. Præclara illa totius litterariæ reipublicæ ornamenta, & noſtræ Vrbis lumina, duo Cælii ſcilicet, & Lilius, hanc rem prorſus intactam reliquerunt, ipſe Polydorus Virgilius, qui de recolendis primis rerum Inventoribus, adeò ſollicitus fuit, hujuſce Chartæ, quæ ex linteolis contritis fit, primum inventorem ignorat, illumque nequaquam palam eſſe, ait. Mirabar ſanè, Vir præſtantiſſime, ac mecum ipſe putabam, cur in re tanti momenti, ac promovendis rei litterariæ incrementis utili adeò, ac neceſſaria (*In hac enim Prudentum ſenſa ſervantur, dicta Sapientum, cogitata Majorum*) parùm adeò ſolliciti fuerint Viri litterati, & potiſſimùm de procuranda primi Inventoris nomini, & famæ indemnitate, & tranſmittenda Poſteris ejuſdem memoria, ut illum ſcilicet debitis honoribus afficere, juſtis proſequi laudibus poſſet, tanto auctus beneficio litterarius Orbis; dùm hæc igitur mecum

ipſe

ipſe putabam, ac mente, & animo revolvebam, in eam tandem deveni ſententiam, duplici potiſſimùm ratione in abſcondito poſitum eſſe primum Chartæ Inventorem. Primò ſcilicèt quia novum hoc inventum, novum ſibi non adſcivit nomen, ſed antiquum adoptavit, multò enim antiquius eſt Chartæ nomen, quam ſit uſus ejuſdem ex linteis conficiendæ; Secundò quia non multùm abludit novum hoc Chartæ conficiendæ artificium ab eo, quo olim utebantur Antiqui pro ſua ex papyro conficienda; Et hinc fortaſsè fuit, quod non totum ſimul innotuerit Chartæ ex linteis conficiendæ artificium, neque unius hominis ſolum, ſed plurium in diverſis locis, etiam diverſo tempore inventum fuerit, quod primum rude, & nullius fortaſſe pretii, vel uſus (& ideò primi Inventores neglecti) paulatim deinde excrevit, & ad tantam perfectionem devenit, ut hæc poſteà, pluribus adeò rei civilis, ac litterariæ uſibus accommodata, cæteris omnibus præ-

ferri ceperit,ac ipſa tandem ad ſummum evecta faſtigium, reliquæ Chartæ in deſuetudinem venerint, & illarum conficiendarum uſus apud nos obſoluerit; In hac re tamen dubius (fateor) hæret animus: ut tu igitur mentis oculis veritatem diſcernere valeas, Vir præſtantiſſime, ipſeque tuis votis aliquo modo occurram, nonnullis priùs delibatis circà diverſas adeò res, in quibus ante Chartę inventum ſcribebant Antiqui, tibi tandem utrumque Chartæ conficiendæ modum præ oculis ponam; antiquum ſcilicet, quo Chartam ex papyro conficiebant olim; & recentem, ac hodiernum, quo ex contritis, & concerptis linteis eadem Charta conficitur; Sic enim facilè diſcernere poteris, an verum ſit, quod ipſe ſuſpicor, novum ſcilicèt hoc Chartę ex linteis conficiendæ artificium, ex antiquo illo ſenſim dimanaſſe, ac veteri illo decreſcente, paulatim hoc novum ſuccreviſſe.

Ante Chartæ inventum igitur, varia admodum materia fuit, in qua ſcriptitarunt

runt Antiqui; hanc primò ſuppeditarunt lapides, atque metalla, *Saxis*, enim, *Plumbo*, *Æri*, litteræ olim malleo, & Celte inſcribebantur, *Malleo, & Celte litteratus Silex*, legitur in vetuſta quadam Sextii Paraſiti inſcriptione apud *Salonem* Dalmatiæ Urbem. „ Quis mihi tribuat, „ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi „det, ut exarentur in libro ſtylo ferreo, „& plumbi lamina, vel celte ſculpantur „in Silices, dicebat Iob. Primis uſq; temporibus publica monumenta ſaxis inſcripta fuiſſe teſtatur lapidea illa Columna ad ætatem uſque Flavii Ioſephi in Syria ſuperſtes, cui Sethi poſteri rerum Cæleſtium diſciplinam, ejuſque excolendæ rationem inſcripſerunt, aut altera illa in effoſſo Beli monumento à Xerſe reperta, in qua notante Aeliano lib. 3. Var. Hiſt. Cap. 3. ſcriptum continebatur, eum peſſimè habiturũ, qui ſepulcrum aperuiſſet, neque repleviſſet Vrnam, aut tandem marmorea illa à Semiramide defuncto Marito dicata, & erecta, teſtantur lapideę Tabulæ, & Ru-

pes in deſerto Sin à Iudæis inciſæ, ut perpetua extarent eorundem peregrinationis monumenta; Aegyptios pariter lapideis Columnis, quin, & lapideis teſtulis notas ſuas hieroglyphicas inſcripſiſse teſtatur Iamblicus, quod etiam expreſſit Lucanus.

Non dùm flumineas Memphis cōtexere biblos
Noverat, & ſaxis tantùm volucreſque, feræque
Scriptaq; ſervabant magicas animalia linguas.

Ità & Babilonii coctilibus laterculis mores, leges, & inſtituta tradidere, & Cloantes, quod à Zenone audierat, in Tegula oſse adnotavit. familiarem pariter apud Græcos, & Romanos fuiſſe hūc uſum ſaxis ſcilicèt publica inſcribere monumenta, ſatis abundè teſtantur tot illi ſuperſtites inſcripti lapides, ſeù græcis, ſeu latinis notis: Sepulcralibus Saxis tamen potiſſimùm committebantur Denatorum honores, dignitates, & heroica quæcunque, ac egregiè perpetrata facinora. Sic Najades Heſperiæ apud Ovidium.

Ab Alex. and. lib. 2. cap. 30.

Tri-

Trifida adhùc fumantia flamma Phetontis *2. Metam.*
Corpora dant tumulo, ſignant & Carmine Saxū.

At non *Inciſa tantùm notis marmora pu-* *Hor. lib.*
blicis, ſed & plumbeis voluminibus pu- *4. od. 8.*
blica inſcribebantur monumenta, Plinio *Hiſt. nat.*
notante; quin & eadem æri inciſa; Sic *lib. 13. cap. 11.*
leges publicas, & Senatus Conſulta ęri, *Hiſt. in*
inciſa Livius, & Svetonius, & Iunior Pli- *Cæſ. 10. Epiſt. lib.*
nius teſtantur; non tantùm tamen pu- *epiſt.*
blica monumenta, verum etiam priva-
tas res plumbeis laminis inciſas fuiſſe,
commemorant; Heſiodi enim carmina
plumbeis voluminibus, inſcripta, ad ſua
uſque tempora in Muſarum templo (cu-
jus ille Sacerdos fuerat) ſervata fuiſſe,
narrat Pauſanias.

Poſt hæc Vegetantium familia ſcri-
ptionis ſuppeditavit materiam, uberio-
rem ſanè, & faciliorem; Primò enim
Plantarum, Stirpium, & fructicum fo-
lia fuerunt, tùm publicis, tùm privatis
rebus inſcripta, cujus rei inditio ſunt ea,
quibus Aeneidum ſexto Sibyllam afflatur
tur Aeneas.

Foliis tantùm ne carmina manda

com-

communiorem materiam ſuppeditarunt Palmarum folia, notante Plinio, quin & malvarum, notante Iſidoro, in textilibus enim malvarum foliis, atque Palmarum ſcriptas olim fuiſſe Hiſtorias notat, & quędam Cinnæ adducit carmina, quibus in Malvarum foliis ſcriptum, & libellos ex iiſdem compoſitos fuiſſe probatur; Sic enim habent.

Æſthe-rios legit Lilius Giral.

Hæc tibi aratęis, multùm invigilata lucernis
Carmina, queis ignes novimus ętereos

Pruſcia-ca legit Girald.

Levis in aridulo Malvæ deſcripta libello
Perſica vexi munera navicula.

Palmarum folia aſperiora, ſed Calami magis patientia, hæc *malvarum* ſcilicet, molliora, ſed quæ vix mucronem ejus ſuſtinerent, atque adeò glutine, & aliis firmari opus habebant; apud Athenienſes, qui ſenatui admovebantur, foliis inſcribi conſueverunt, & Syracuſani ejus nomen, qui ob potentiam ſuſpectior eſſet, folio oleagineo inſcribentes quinquennii exilio afficiebant, notante Diodoro Siculo; quin & hodie Indorum Brachmanes in foliis Palmarum ſcribere,

Voſſ. de arte Grã. lib. 1. Cap. 36.

Hiſt. lib. 10.

re, & ex illis ſuos componere libros, notat Petrus à Valle; quin & Matthiolus ſuis in Dioſcoridem Commentariis ſe dono accepiſſe cōmemorat à Luca Ghino tenuja quædam, ac levia ſolia ex juncea quadam Planta prodeuntia ab Inſulis *D. Thomæ Braſilii*, *& Maderę*, convecta, nigris rubriſque Characteribus Arabicis inſcripta, ex quo deducit illarum Inſularum Incolas tenuiſſimis hiſce foliis pro Charta paſſim uti, & fortaſſe fuerunt folia Lacuſtris illius apud Siſenſes floris, qui *fulo de Golfo* Luſitanis dicitur; ampliſſima enim illa ſunt, & olitoribus, atque Scrutariis, aliiſque minutiorum mercium Propolis loco Chartacei involucri ad merces infarciendas inſerviunt; illis enim foliis de quibus Matthiolus, Saccarum erat involutum; Verùm fragilis adeò materia, & quæ facilè adeò Ventorum flatu diſperditur, tot ſuſtinendis tùm publicis, tùm privatis litteratorum monumentis ſufficere minimè poterat. Hinc ligneis codicibus, ſeu Arborum caudicibus eadem inſcri-

Itiner. Tom. 4. e lib. 1. cap. 98.

ſcribere , præſertim Tilliaceis, Faginis, & Buxeis cæperunt; Arborum Caudices ſcilicet in parvas ſecabant tabulas, quas parvos Codices , ſeù etiam Codi- cillos dicebant, quæ dolabantur, ut faciliùs in illis ſcriberetur ; Quod expreſſit Iſidorus inquiens. „Antè uſum Char-„tæ , & membranarum in dolatis ex li-„gno codicillis epiſtolarum colloquia „ſcribebant; erat enim indecorum, dice-„bat Caſſiodorus, doctos ſermones Ta-„bulis impolitis committere, & in veter-„noſis ramalibus imprimere, quod ſen-„ſualis poterat elegãtia reperire. Ex parvis hiſce tabellis aliæ erant cęra obductæ, aliæ non; quæ nudæ, & cęra minimè obductæ erant, ſchedæ propriè appellabantur ; quæ ſi ſimplices craſſiores erant, iiſque potiſſimum Pueri, ut ediſcerent, utebantur ; undè Plautus *Nunc experiar , ex-templo Puer Pædagogo Tabula diſrumpit caput* . Sed & cęratis utebantur tabellis Pueri, Iſidoro notante, hæc enim habet. *Cęræ litterarum Materies, parvulorum Nutrices ipſæ dant ingenium pueris primordia*

Orig. lib. 6. Cap. 8

li. 2. var n.

Orig. lib. 6.

Sen-

Senſus; Conſtat prætereà ex his, quæ de Martyrio Caſſiani Prudentius habet.

Conijciunt alij lapides, inque ora Tabellas
Frangunt, reliſa fronte lignum diſilit,
Buxa crepant Cærata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tumens pagina,

Quæ autem reliquis uſibus inſerviebant, cæratæ Tabulę pugillares, ſeu pugillaria dicebãtur, vel quod pugno comprehenderentur, vel quod ſtylo in illis pungendo ſcriberetur; Calàmi enim vicem gerebat Stylus, qui graphium dicebatur; unde Sulmonenſis Poeta *Iſid. lib. 6. Cap.*

Quid digitos opus eſt graphiũ laxare tenendo

Ferrea primùm erant hujuſmodi graphia, *primum enim ferro in Cæris ſcripſerant Græci, & Thuſci*. Verùm cum ferreis graphiis poſteà abuterentur ad infligenda vulnera, propterea interdictus eorum uſus fuit, juſſique pro ferreo, uti oſſeo. Undè Titus Quintius Atta in Satyra. *Lib. 14. Epig. 14.*

Vertamus vomerem in Cęram, mucrone aremus oſſeo. Rediit poſteà uſus ferrei graphii: Unde Martialis

Hæc

In Iulio. *Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro.*
Si puero dones, non leve munus erit.

Sed rediit & denuò periculum: *Caſſij enim brachium arreptum graphiario Cæſar trajecit*, notante Svetonio; & Erixonem Equitem Romanum, quia filium ſuum flagellis occiderat, Populus in foro graphiis occidit, notante Seneca. Ex ferro igitur, vel ęre graphiũ cõmuniter erat, quandoq; oſſeum; Graphii formam eleganțiſſimè deſcripſit Simpoſius Aenigmate primo.

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo,
Vertor utrinque manu, diverſo & munere fũgor,
Altera pars revocat, quidquid pars altera facit,

Cum enim graphii acumen in imo digitis coc̃tplec̃teretur, ejuſdem planities, ſeù latitudo erat in ſummo, acumine ſcribebant, latiori parte litteras abradebant: duplicem hunc graphii uſum elegantiſſimè expreſſit Prudentius in Martyrio Divi Caſſiani.

Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cęra ſulcis ſcribitur,
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti,

Rur-

Rurſùs niteſcens innovatur area.
Hinc foditur Chriſti Confeſſor, inde ſecatur,
Pars intrat viſcus molle, pars ſcindit cutem.

Et Divus Hieronymus ad Domnionem *Stultus ego, qui me putaverim hæc ſine Philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorem Styli partem eam legerlm, quæ deleret, quam quæ ſcriberet.* Cum igitur Stylo, ſeu graphii acumine in Cæratis Tabulis ſcriberetur uſurpatum fuit Styli nomen, tùm ad ſignificandam ipſam actualem ſcribendi exercitationem. Vnde Symmachus Salviano. *Silere non poſſum, quoties Stylum invitat occaſio*, & Stylus (multa ſcilicèt ſcriptio) apud Tullium dicitur, *optimus ac præſtantiſſimus effector, ac Magiſter*. Quod confirmat etiam Quintilianus, *ut labores, ſic utilitates longè etiam plurimum affert ſtylus.* Hinc ſtylum vertere, eſt mutare, quod ſcripſeris. Horatius in Sermonibus. *Sæpè Stylum vertas.* Sic Divus Hieronymus adversùs Ruffinum; *Poſt quam verò non agnovi laudes tuas, & me indignum tanti Viri præconio judicavi, vertis Stylum, & omnia laudata prius vituperas, de eodem ore, & dulce profe-*

Idem de Orat. De Clar. orat.

rens,

rēs, & amarum. Ità pariter Stylū infigere, & Stylo appetere, ſcriptis inſectari, atq; invehi, ſignificat; Uſurpatur etiam Stylus ad ſignificandam orationis ſtructurā, atque dicendi modum, in quo ſenſu Stylus uſurpatur à Terentio in Prologo Andriæ, ubi ſe ſe tutatur à Crimine, quod illi à Luc. Lavinio fuerat impoſitum, nimirum quod Græcas Menandri Comędias latinas faceret, & tanquam ſuas venditaret; Vbi ſic habet,

Menander fecit Andriam, & Perinthiam,
Qui utramvis rectè norit, ambas noverit,
Non ità ſunt diſſimili argumento, ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt facta, & Stylo.

Et Tullius in hoc ſenſu, lib. de claris Oratoribus, Stylum uſurpat, dum enim laudat orationes cujuſdam C. Titii Equitis Romani, tales illas eſſe aſſerit, *ut panè Attico Stylo ſcripta videantur.* Sed ut ad graphia redeamus, Graphium ut innocens haberetur ſua recondebatur Theca, quam graphiarium dicebant, cui alluſiſſe videtur Horatius, quandò reprehenſus nimię acerbitatis in ſuis Satyris,

ris,Styli Correctionē promittit,inquiēs.
Sed hic, Stylus haud petit ultra
Quemquam animantem , & me veluti custodiet enſis ,
Vagina tectus
Sed & hic habuit undè luxus peccaret ; Aurea enim graphia , notante Marcello Medico, quandoque etiam gemmis diſtincta fuerunt, nec longè fuit à pugillaribus faſtus , & luxus ; E Citro enim fuerunt , de Citriis pugillaribus hæc habet Martialis
Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas ,
Eſſemus libici nobile dentis onus .
Quandoque fuerunt ex ebore , de quibus idem Martialis . lib. 14. Epig. 1.
Languida ne triſtes obſcurent lumina Cæræ,
Nigra tibi niveum littera pingit ebur .
Quandoque etiam fuerunt Chriſtallina, Epig. 4.
& Onychina,ſed hęc extra ordinem fuere, quæ in communi uſu erant . Cæra obducebantur,uti vidimus, & cęrei pugillares dicebantur , de quibus extat enygma Althemii apud Delrium in Ectaſtoche.
Melligeris Apibus mea prima proceſſit origo ,

Sed pars exterior creſcebat cætera Sylvis,
Calceamenta mihi præbebant tergora dura,
Nunc ferri ſtimulus faciem proſcindit amœnam.
Flexibus, & Sulcis obliquat ad inſtar Aratri,

Pugillarium Cæra diverſimodè erat colorata. Unde Ovidius primo Amor. Eleg.2.

Ite hinc difficiles funebria ligna Tabellæ,
Tuque negaturis cæra referta notis.
Quam puto, de longè collectam flore cicutæ
Melle ſub infami Corſica miſit Apis.
At tanquam Minio penitùs medicata rubebas,
Ille color verè ſanguinolentus erat.

Pugillares quemadmodùm, & Graphii ſuas habebant thecas, quibus aſſervabantur; Cum autem operoſum nimis, ac oneroſum eſſet in diſſectis hiſce Arborum caudicibus, ſeù in Cæratis hiſce tabellis ſcribere, nec minùs operoſum ſcripta legere, ideò magni momenti ſcripta ipſis mandari minimè conſueverunt, ſed illæ ſolummodò res, quæ haberent uſum familiarem, ac penè quotidianum. Pro rebus autem majoris momenti aptior materia aliundè quæſita fuit, & hæc potiſ-

tiſſimùm ab interiori Arborum Cortice, illa ſcilicet tunica, quæ ligno proximè adhęret, quam librum appellant Latini. Ita appellat Virg. 2. Georg.

Hùc ex aliena arbore Germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.

Vnde poſteà libris derivatum nomen.; Communior enim erat hæc librorum materies, qui & volumina dicebantur, quia circa teretem bacillum paginæ circumvolvebãtur, verùm operoſum adhuc erat in hiſce arborum libris ſcribere. „*Quemadmodum enim*, inquit Caſſiodorus, „velociter potuiſſet ſcribi, quod repu„gnante duritie Corticis vix poterat ex„pediri, ineptas nimirùm moras calor „animi ſubſtinebat, & cum differebantur „verba, tepeſcere cogebantur ingenia, „gravatis manibus paucis memoriam „commonebat, nec invitabatur plura di„cere, cũ ſe talis pagina videbatur afferre. De Charta igitur ex Arborum libris componenda cogitarunt, ijſdem ſcilicet in tenues quaſdam lamellas, quas Phylliras, ſeu Phyluras dicebant, diviſis; non

enim arborum liber Phyllira propriè dicitur, ſed Phillyræ propriè ſunt pertenues illæ membranulæ, in quas liber dividitur; Neque ſolummodò tenues illæ membranulę, in quas Tillię liber reſolvitur, Phillyræ dicuntur; ſed cujuſcunq; libri membranulæ; quia tamen Tilliæ Phillyræ cæteris olim prælatæ, & ex ipſis Romæ potiſſimùm compoſita Charta, quæ & ipſa in pretio plurimum fuit, ideò Tilliæ Planta Phillyris à nonnullis dicta. Quam autem ex Papyro Chartam ſuppeditavit Aegyptus, hæc reliquis omnibus prælata fuit, atque potiſſimùm in uſum venit, donec tãdem Charta ex linteis contritis confici cœpit; At non Arbores tantùm, non Metalla tantùm, & Lapides, ſed & Animalia ſuppeditarunt ſcriptioni materiam; In pellibus enim animalium ſcriptum fuit, in eorum Cute ſcilicet, & potiſſimùm oviũ, Caprarum, Hædorum, quin & in Aſini Corio ſcriptum quandoque fuiſſe cõmemorant; Sed non ſolùm in pellibus, ſeù Cutę Animalium, verùm etiam in

Omen-

Omentis, & potiſſimum Elephantinis, Iſidoro notante. nonnulli Elephantinos, libros, quorum meminit Vopiſcus in Bibliotheca Trajani ex omentis Elephantorum compoſitos fuiſſe contendunt, quos tamen alii volunt factos ex ebore ſectili, unde & *eburneos* Turnebus interpretatur. tandem & in inteſtinis animalium ſcriptum fuiſse teſtatur illud Draconis Inteſtinum, quod aſservabatur in celeberrima illa Conſtantinopolitana Bibliotheca, quæ maximo totius litterarii orbis detrimento flammis conſumpta fuit ſęviēte cōntra Sacras Imagines Leone Iſaurico; in illo Inteſtino, quod centum, & viginti pedes lōgum erat, aureis litteris conſcripta erant Homeri Poemata, *Iliades, & Odiſſea*. Ex membranis animalium tamen Chartæ potiſſimùm conficiebantur, quarum cum frequētior eſset Pergami apparatus, ibique majori induſtria, & majoris perfectionis pręparentur, ideò pergamenę dictę olim, & hodiè etiam dicuntur, quæ & vulgò *Chartepecoræ*, quia ut plurimum ex

 ovium

ovium membranis , ſeu ex ovillis Tergoribus, uti ait Martianus Cappella, fiunt; Sed neque tota hęc ſufficiebat ſcriptioni materia, *linteis etiam conſici privata monumenta*, , dicebat Plinius , & Martianus Cappella notat , etiam ex Carbaſinis voluminibus libros fuiſſe cōplicatos, & potiſſimùm Sibyllina oracula carbaſinis voluminibus fuiſſe conſignata, notat Symmachus, vnde Claudianus.

Quid Carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani Carbaſus ævi.

Brachmanes litteras in Syndonibus fullatis coloribus effinxiſſe, notat Alexander ab Alexandro, & refert ex Philoſtrato Offmanus; Dolet præterea Plinius, quod licèt tantam ſuppeditaret Papyri copiam Eufrates, ex qua Charta confici poterat, adhùc tamen ſuis temporibus litteras veſtibus intexerent Parthi, quos imitata apud Ovidium Philomela.

Stamina barbarica ſuſpendit candida Tela,
Purpureaſque notas filis intexuit albis.

At

At non litteras tantùm, ſed hominum imagines veſtibus intexebant olim Britanni; Undè Virgilius 3o. Georg.

Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

In tanta tamen materiæ diverſitate, quam ſcriptioni ſuggerebant lapides, metalla, Animalia, Plantæ, Charta cæteris omnibus prælata fuit, tum papyracea, tum pergamena, illa ex tenuiſſimis Arborum Phylluris contexta, hæc ex animalium,& ovium præcipuè pellibus, ſeù membranis compoſita, hujus hodiè adhùc plurimus eſt uſus; In hiſce enim potiſſimùm Chartis Summorum Principum, ac Regum gratioſa quæque exarantur indulta, & quid quid grande,aut dictum, aut factum ſeræ poſteritati reſervandum cenſetur, hiſce Chartis cuſtodiendum committitur; Altera verò, *Papyracea* ſcilicet, ex quò Chartæ ex linteis conficiendæ uſus invaluit, paulatim in deſuetudinem venit, nullumque ampliùs ejuſdem apud nos remanet veſtigium. Et ecce, vir præſtantiſſime, quod eò redditum eſt, undè diſceſſimus,eò ſci-

licèt me produxit ſuſcepta conſideratio, ut tibi præ oculis ponere nunc debeam, utrumque illum Chartæ conficiendæ modum, & illum ſcilicèt, quo utebantur Antiqui ad conficiendam ſuam ex arborum, & Papyri potiſſimùm Phylluris, & quo utuntur hodiè ad Chartam ex linteis conficiendam; utque à Charta Papyracea exordium ducam, non te latet, Papyrum in Paluſtribus Aegypti naſci, ſeù uti Plinius ait. *In quieſcenibus Nili aquis, ubi evagatæ ſtagnant*; hujus elegantem habet adeò deſcriptionem Caſſiodorus, ut illam afferre non ingratum tibi fore, ſim arbitratus. De papyro igitur hæc habet. „Surgit nilotica ſylva ſinè „ramis, nemus ſinè frondibus, aquarum „ſeges, Paludum pulchra Cæſaries, Vir„gultis mollior, herbis durior, neſcio qua „vacuitate plena, plenitudine vacua, bi„bula teneritudine, ſpongeum lignum, „cui more pomi robur in cortice eſt, mol„licies in medullis, proceritas levis, ſed „ipſa ſe continens, fędæ inũdationis pul„cherrimus fractus: hęc Caſſiodorus. Plinius

nius notat, naſci etiam Papyrum in Eufrate circà Babylonem, illumque ſuprà gurgitum altitudinem ultrà duo cubita non aſcendere, talis texturæ illius eſt Cortex, ut facilè in pertenues, eaſque latiores membranas dividi facilè poſſit; acu igitur dividebant Papyri Corticem in tenuiſſimas membranas, ſeù Phylluras quas reſectis priùs utrinque pr\u0119 ſegminibus ſupra tabulam Nili aqua madentem, extendebant, ſic ſupinæ tabulæ ſuperextenſæ Phylluræ in chartæ contextura ſtaminis vicem obtinebant, ſeu ſtatuminis; ſuper illas enim ali\u0119 poſteà tranſverſæ collocabantur, & adlinebantur in modum cratis, quæ ſubtegminis vicem gerebant, quemadmodum enim Tela, ità & Charta ſtamine, & ſubtegmine intexebatur, eo tamen diſcrimine, quod in Charta ſubtegmen imponebatur ſtamini, & glutinis ope connectebantur; In tela autem ſtamini ſubtegmen inſeritur, & per mediũ decurrit: hoc totum expreſſit Plinius, quando docebat *ex primo Corio*, ex prima ſcilicèt Phyllurarum ſerie, ſeu ſche-

dicta fuit, quoniam tàm nimia ejus tenuitas calamis tolerandis non ſufficiebat. Prętereà tranſmittens litteras, lituræ metum afferebat adverſis, & alias indecoro viſu pertranslucida, ideò ſub Claudio Cæſare factum eſt, ut minus tenues phyllurę prò ſtatumine uſurparentur, tenujores tantum ſubtegmini inſervirent; Hæc charta *Claudia* poſteà appellata fuit, & auguſtæ prælata, cui ſolummodò in epiſtolis auctoritas relicta fuit; quę autem ex phylluris exteriori Cortici vicinioribus componebatur Charta, vilioris erat pretii, ac deterioris uſus. Supplebant Romani aquarum Nili defectum vulgari glutine, & exinde majorem lenitatem Chartæ comparari dicebat Plinius, quin & Papyri defectum *Tilliæ* libro ſupplebant; *Tillia* enim notante Svida, habet librum ſimilem Biblo Papyri; quod autem in Tilliæ libro potiſſimum ſcriberetur, ut ſuperius diximus, notat Herodianus lib. 1. ubi de Commodo hęc habet. „Sumpto in manus libello,

Plin. lib. 13.

„qua-

„quales ex Tillia tenuiſſimi,& plicatiles „utrinq; fiunt, conſcribit in eo quoſcun„que illa nocte interficere ſtatuiſſet. Sed &ex vilioribus quibuſcunque ramentis quęſitæ ad Chartæ cõfectionem Phyllurræ, quæ *Sartica* potiſſimum appellabatur ab oppido, in quo conficiebatur. Neque ſane miraberis, Vir præſtantiſſime, facilem adeò in tenues illas lamellas, ſeu Phylluras cujuſcunque Plantarum Corticis diviſionem, quando certum eſt „ Plantarum, quoad craſſitiem, incrementum quot annis fieri, ſuccreſcente non ſolùm nova fibrarum lignoſarum ſerie, verùm ſuccreſcente nova Cute, atque Cuticula, novo Cortice ſcilicèt, tum interiori, tum exteriori; Hinc in totidem tenues bracteas, lamellas, ſeu membranulas eſt diviſibilis cujuſcunque Plantæ Cutis, atque Cuticula, quot numerantur ipſius anni; & Quercus annoſæ, vel alterius cujuſcunque ſeneſcentis arboris annos numerare facilè poteris, non ſolum ex circulis radioſis, quos in Corpo-

re

re lignoſo efformat ſuccreſcens quotannis fibrarum lignoſarum ſeries, ſed ex plurimis illis lamellis, ſeu bracteis, in quas tum exterior, tum interior Corticis pars eſt diviſibilis. At abſolevit hodiè, uti diximus, hujuſmodi Chartæ ex arborum phyllurìs paratura; hodiè enim Charta ex linteis concerptis, atque contuſis conficitur, tali apparatu, ac artificio, ſelecti ad hunc uſum panniculi, ſeu pannuciæ fruſtulatim conciduntur, ac cupris, ut putreſcant, immittuntur; In mortario deinde aqua pleno tunduntur piſtillis, à rota verſatili agitatis: ubi minutim contuſi fuerint, induntur Cortinæ calida refertę, inde poſteà hauritur materies quadrata forma, ſeu craticula tenuibus ferramentis, ſeu potiùs filis æneis contexta, quæ aquam transmittit, ac percolat, & lintea contrita retinet, quæ ſic in folium formata evacuant in pannum villoſum, eoque involuta pręlo premuntur, donec omnis decedat humiditas: tunc tendiculis ſuſpenſa aere ſic-

can-

çantur, exiccata glutine perliniuntur, & glutinata lęvigantur; ſiccata, & lęvigata tandem folia in volumina componuntur majora, & minora. faſcem viginti voluminum minorum, ſcapum hodiè appellant vulgò una *Riſma*, minora volumina, quæ quaterniones vulgò dicuntur, ſeu *Quinterni*, viginti quinque folia continent. Hęc eſt noſtræ Chartæ ex linteis artificioſa textura, cujus diverſæ ſunt ſpecies, prò diverſis perfectionis gradibus, & diverſa formæ, atque figuræ amplitudine, habetur, & hodiè Charta *auguſta*, *Regia*, *& Imperialis*: omnium viliſſima eſt *Emporetica* prò ſegeſtribus ſolùm, & involucris adhibenda; Non ubique locorum tamen, neque apud omnes Nationes hodie, aut tali artificio, aut ex tali materia fit Charta; Japonenſes, notante Andrea Cleyero, conficiunt Chartam ex Corticibus arboris *Canſchii*, detruncata enim arbore ſuccreſcunt ad truncum, ſeu radicem ſtollones, quos præſcindunt, ubi ad pol-

ſicis

licis craſſitiem excreverint, & in faſces colligunt, tandiuque in aheno aqua pleno concoquunt, donec ab ipſis cortex facilè abſcedat, ſeparati Cortices multiplici emolliuntur coctione, uſquequò in albiſſimum evadant pulmentum, ex quo poſtea in Mortariis Ligneis cum ligneis piſtillis contuſo, ac inde in quadratas arculas depoſito, ad totalem aquę expreſſionem, fit Charta, eo ſcilicèt per partes cupreis formis impoſito, eadem prorſus ratione, qua apud nos in Chartariis officinis ex putrefactis, atque contritis linteis noſtram confici Chartam, ac prępararì, jam vidimus; Hęc noſtra Charta tamen jure merito cæteris omnibus ex quacunque alia materia conſarcinatis prælata fuit, quando ipſa aptiori quadam facilitate, & facili aptitudine, omnibus, & ſingulis rei litterariæ uſibus magis accōmodatur. „Provocat litteratorū „ingenia, dicebat Caſſiodorus, invitatrix „pulchritudo Chartarum, tergo niveo „aperit eloquentibus campum, copioſ „ſemper aſſiſtit, & quo fiat habilis, in ſe re-

„vo-

„voluta colligitur,dum magnis tractati-
„bus explicatur. Hinc admirari numquã deſinit animus,quomodò pręſtantis adeò atque pręclari inventi nobis Auctor non conſtet, & quæ *humanorum actuum ſervat fidele teſtimonium, præteritorum loquax, oblivionis inimica*, ſuum poſteà Auctorem oblivioni ſubtrahere,ejuſque gratam nobis reſervare memoriam minimè potuerit; Cujus equidem rei unam ex potiſſimis cauſis attigimus,quod rude ſcilicèt, & imperfectum in primo ſui exortu hujuſmodi inventum nullam à principio apud eruditos homines habuerit exiſtimationem,quam poſteà, ubi ſibi comparavit ad ſummam perfectionem provectum, tunc conſepulto jam Auctoris nomine (qui fortaſsè,uti diximus,non unus fuit) ad ſuperas illum revocare auras, illumq;hominum memoriæ reſtituere,impoſſibile fuit. Quomodo autem novum hoc conficiendæ Chartæ artificium potuerit è veteri illo quodammodò erumpere, ac emanare, tu facilè noveris, Vir præſtantiſſime; Mihique interim non invitus

vitus

vitus concedes maximi etiam momenti fuiſſe ad occultandum primum Chartæ Inventorem, ejuſque prorſus abrogandam memoriam, quod novo nomine, novum hoc inventum minimè fuerit inſignitum, ſed antiquum ſibi adoptaverit; Multò enim antiquius eſt hoc nomen *Chartæ*, quam ſit ejuſdem ex linteis conficiendæ artificium; Et multiplex apud antiquos ſcriptionis materia Chartæ nomine deſignata fuit: quàm antiquum autem ſit Chartæ nomen, facilè innoteſcet, ſi unde primò illud derivatum ſit, expendamus, & cuinam rei primò impoſitum ſit, perquiramus.

Chartæ nomen derivatum putant nonnulli ab Urbe Charta, quæ fuit Didonis Patria, & ab illa Urbem à ſe conditam, *Chartaginem* appellavit; inquiunt enim juxta hanc Urbem Papyrum primò inventam fuiſſe; unde probabile exiſtimant primò etiam in illa inventum fuiſſe modum Chartæ ex ejuſdem Papyri libro, ſeu Cortice conficiendæ. Chartæ nomen inde derivatum exiſtimat Iſido-

 rus.

rus. *Quod carptìm Papyri tegmen decerptum glutinatur*. Alii verò non prius Chartæ nomen, ſeu arborum libris, ſeu animalium membranis impoſitum arbitrantur, quam hæc epiſtolis ſalutatricibus cæperint inſervire. Græcum enim nomen *Chartis* à Græca voce *Cherin* derivatum putant, quæ vox ſalvere, vel ſalutem annunciare ſignificat; Undè Chartæ nomen derivatum putant ab illa ſalutis annunciatione, quam in epiſtolis præmittere conſueverunt Antiqui; *Chartis* enim apud iſtos idem reſonat ac *ſalutator* ſeu *ſalutatrix*, quin Martialis auctoritate ſuam tutari credunt ſententiam, qui Chartas ſalutatrices epiſtolas appellat Epig. lib.9.

Charta Salutatrix ſi modo vera refert.

Alii tandem nomen græcum *Chartis*, non à græca voce *Cherin* quod eſt ſalvere, ſed ab alia voce græca *Charaſſate*, quod eſt litteris inſcribor, derivatum putant; Vnde Chartæ nomen impoſitum dicunt, cuicunque materiei, cui litteræ inſcriberentur; cum autem communior mate

te

teria, cui litteræ inſcriberentur, eſſet illa, vel ex arborum, & Papyri potiſſimùm Phylluris contexta, vel membranis Animalium comparata, ideò Chartæ nomen ijſdem appoſitum fuit. Propriè tamen magis Charta dicta fuit illa ex Papyri, arborumque Phylluris contexta, quæ inter diverſas hujuſmodi opiniones verior ſit, ac cæteris præferenda, determinare non auſerim; Probabile tamen mihi vdietur ab Vrbe *Charta* derivatum hoc nomen fuiſse, quod in illa ſcilicet primò inventum ſit ejuſdem conficiendæ artificium; nam impropriè à voce *Cherin*, quod eſt ſalutem annunciare derivatur *Chartis*, & licet epiſtolam Chartam ſalutatricem dicat Martialis, non ideò tamen evincitur, Chartę nomen ab annunciatione ſalutis in epiſtolis prẹmitti ſolita derivatum; Neque enim ſalutatricem dixiſset Chartam Martialis, ſi Charta idem importaret, ac ſalutator, vel ſalutatrix. Præterea multò antiquius eſt Chartæ

nomen, quàm ſit conſuetudo ſalutis annunciandæ in epiſtolis; non priùs enim juſſi ſalvere illi, quibus epiſtolę ſcribebantur, quàm hoc præſtitum ſit à Cleone Athenienſium Præfecto. Inquiunt enim hunc fuiſſe primum auctorem ſalutis annunciandę in epiſtolarũ initiis: ab eo enim primo ſalvere juſſi Athenienſes, cum jiſdem epiſtolam gratulatoriam mitteret ob illuſtrem reportatam in Inſula Sphacteria contrà Spartanos victoriam, in quo Philippidem illum imitatus fuit, qui ex Maratone uno', eodemque die curſu itinere peracto Athenas victoriam renunciavit; Hunc enim Athenienſium Magiſtratui de pugnæ eventu ſollicitò victoriam ſic renunciaſſe ferunt. *Salvetē Patres, vicimus*; quo dicto ſtatim expiravit. At multò antè Cleonis tempora Chartæ nomen in uſu fuit. Vixit ènim Cleon circa Olympiadem octuageſimam octavam, & nonam, anno ſcilicet ab Orbe condito 3625. & Chartæ nomen Homeri

meri uſque temporibus in uſu fuit, hoc eſt circa 160. annos antè Urbem conditam. Si igitur ab Urbe Tyri *Charta*, *Chartæ* nomen derivatum concedas, cui primò, & propriè hoc nomen impoſitum ſit, facilè innoteſcit; non enim arborum foliis, non libro, non Caudicibus in Tabellas diſſectis, Chartæ nomen impoſitum; Sed illa ſcriptionis Materies, quæ ex arborum Phylluris, & potiſſimùm ex Papyro ſuggerebatur, verè, & propriè Charta appellata fuit; Vnde etiam patet antiquiſſimum fuiſse Chartæ nomen, quando & Chartæ ex Papyro, ſeu Arborum Phylluris conficiendæ, uſus antiquiſſimus fuit; Neque enim ſtare poſſe mihi videtur illorum ſententia, qui Chartam ex papyro inventam aſserunt poſt Alexandri Magni victoriam, poſt redactam ſcilicet in Græcorum poteſtatem Aegyptum, & Alexandriam in Aegypto conditam, effoſsa in agro Romano, ſive poſteà C. Terentii ager fuerit, ſivè L. Petilij, parum intereſt, effoſsa; inquam, arca,

in qua Numa Rex ſitus fuerat, in ea reperti ſunt libri, ex *Charta*, Plinio, Caſſii Heminę teſtimonio, notante; Numæ uſque temporibus igitur Charta in uſu erat, & tamen Numa amplius trecentis annis fuit antè Alexandrum. Ità pariter ſuſtineri minimè poteſt illorum ſententia, qui aſserunt membranas primò repertas per æmulationem circà Bibliothecas Ptolemæi, & Eumenis, cujus ſententiæ videtur fuiſse Iſidorus, qui „lib.6.de Orig.ait. „Pergameni Reges, „cùm Charta indigerent, membranas „primò excogitarunt, unde & perga„menarum nomen huc uſque tradente „poſteritate ipſiſſervatum eſt. Hoc idem „ex Varronis ſententia confirmat Pli„nius. *Membranas ſcilicet Pergami repertas, ſupprimente Chartas Ptolomeo* quibus adſtipulatur Alexander ab Alexandro; inquit enim, *Chartæ Hædinæ* (quas perga„menas vocant) fuere Pergami Vrbe „Troadis primò inventæ, ubi cum Atta„lus, & Eumenes imperitarent, nobi„lem illam, omniumque ſermone cele-

bra-

„bratam Bibliothecam conquiſitis undi-
„que exemplaribus, hædinis Chartis
„conſtruxiſse ferunt; Nam aliam Ptole-
„męus Philadelphus plus ducentorum
millium voluminum in Alexandria di-
ſpoſuit. Hujuſmodi, inquam, ſenten-
tia ſuſtineri minimè poteſt, quia mem-
branas multò antè Ptolomæi, & Eumenis tempora inſcriptas fuiſse conſtat, tùm quia annales Perſicos in membranis ſcribi ſolitos, narrat ex Cteſia Diodorus Siculus, tum quia ſacros Hebræorum libros ex membranis fuiſse teſtatur Flavius Ioſephus; cum enim ab Eleazaro Sacerdotum Principe ſacri libri per ſeptuaginta Interpretes ad Ptolomæum miſſi fuerint, ut in græcum ſermonem verterentur, inquit Joſephus, *Rex miratus eſt, cùm oſtenderent tenuitatem membranæ, vel incomprehenſibilem eorum compaginem*. Ex his igitur patet, antiquiſſimum fuiſſe tum membranarum, tum Papyri ad ſcriptionem uſum apud AEgyptios ſaltem, quem tamen arbitror, non adeò

 fre-

frequentem, & familiarem fuiſſe cæteris nationibus, antequam Aegyptus Græcorum in poteſtatem redacta eſſet, ante victoriam ſcilicet Alexandri; ejus enim fortaſſe perpauca ſolummodò volumina ex Aegypto ad exteras nationes mittebantur, ac Principibus viris dono offerebantur, ut in ipſis, utpotè digniori materia deſcriberentur Principum faſtus, publici annales, vel aliqua illuſtrium Virorum monumenta; Et ſivè Papyri volumina Numæ dono tradita fuerunt, vel ab eodem ab Aegypto uſque conquiſita, ut in ipſis deſcriberentur ſeptem Juris Pontificii libri. Neque enim ſuſtineri poteſt, quod in illa eadem Arca, qua Numa conditus fuerat, præter ſeptem Juris Pontificii libros, & alii libri reperti ſint, in quibus, uti Plinius refert, tota Pithagoræ, & Pithagoreorum Philoſophia contineretur, quando conſtat Pithagoram illum Samium, qui Italicæ Scholę Princeps fuit, multis annis poſt Numam floruiſſe. Floruit enim, notante Tul-

lio, lib. primo Tuſc. quęſt. regnante Tarquinio Superbo, & circa annum quartum Olympiadis 70. occubuiſſe ferunt, anno ſcilicet ab urbe condita 257. ſecundum nonnullos, ſecundum alios 278. Non poterat igitur in illis libris, ſi cum Numa fuerant illa Arca conſepulti, contineri Pithagoræ Philoſophia, niſi fortaſſe alterius Pithagoræ antiquioris philoſophia fuerit; Meminit enim Plutarchus in vita Numæ cujuſdam Pithagoræ Spartiatis, qui Olympiis Curſu victor fuit circa ſextam decimam Olympiadem, cujus anno tertio Numa Regnum eſt adeptus, cum quo Numam conſuetudinem habuiſſe ait, & ex hujuſce Concilio non pauca Lacedemoniorum inſtituta Romanis admixta fuiſſe, notat, vel potius philoſophia in illis libris contenta, Pithagorea dicta fuerit, ob conformitatem cum ipſa Pithagoræ Philoſophia, & potiſſimum circa tranſmigrationem animarum in alia Corpora, cujus licèt primus adſtructor

di-

dicatur Samius Pithagoras , illam tamen ab Aegypto accepit, teſte Herodoto, quos feſtivè una cum ipſo Pithagora irridet Lucianus in Dialogo Galli, & Mycilli; Sed cujuſcunque fuerit Philoſophia in illis libris contenta, fuerunt hujuſmodi libri à Q. Petilio Prætore, quia Philoſophici eſſent, combuſti. Exinde poſteà ab Alexandri victoria, cum Aegyptus in Græcorum poteſtatem redacta eſſet, ob commercii facilitatem, frequentior in Græcia, aliiſque Græciæ conterminis Regionibus Papyri uſus eſſe cœpit; ac inde etiam Romæ cum totum jam penè Terrarum Orbem peragrarent Victrices Aquilæ Romanorum; cumque interea per æmulationem de Bibliothecis ortam inter Aegyptios Reges, & Pergamenos ab Aegyptiis Regibus Papyrus Pergamenis denegaretur, iſtinc à priori ſtudio remitterentur, curarunt, ut membranæ, quarum tunc rarior erat uſus, & frequentior eſſet apparatus, & majoris

ſteà

induſtriæ, ac elegantiæ, quod indè poſteà tanta copia factum eſt, ut ad alias etiam mitterentur Nationes; Ideoque quia Pergami & perfectiores,& in majori Copia fierent, *pergamenæ* vocari cæperunt, quod totum expreſſit D. Hieronymus, in Epiſtola ad Cromatium. „*Chartam defuiſſe* non puto, AEgypto „miniſtrante Commercia, & ſi alicui „Ptolemęus Maria clauſiſſet, tamen „Rex Attalus membranas à Pergamo „miſerat, ut penuria Chartæ pellibus „penſaretur. Quæ membranæ, & ipſæ Chartæ nomine fuerunt inſignitæ, quia & ipſę eſſent ſcriptionis materia, eumdemque cum Charta, & Papyro uſum haberent; Ita pariter Svetonius Chartam plumbeam appellat ſubtiliſſimam plumbi laminam, ob ſummam tenuitatem, ipſiſque Chartæ paginis ſimillimam; Quàm antiquum igitur ſit Chartæ nomen conſtat, & quibus rebus primò impoſitum fuerit, quemadmodum etiam unde primo illud fuerit derivatum, & quoniam Chartæ nomi-

ne

ne potiſſimùm deſignabatur, illa ex papyro materies, quæ inſcriptioni inſerviebat, hinc eſt, quod cùm in ejuſdem ſuffecta locum eſſet noſtra ex linteis confecta, Charta & ipſa appellari cœpit. Hæc igitur Homonymia, altera potiſſima ratio mihi videtur, propter quam hujuſce Chartæ primus Auctor non conſtat, & quando primum illa inventa fuerit, ignoratur. Prætendunt nonnulli, quod circa Euſthatii tempora jam in uſu eſſet noſtra ex linteis Charta, tuncque pene obſoletam antiquam illam ex papyro fuiſſe, quod ex eo potiſſimùm deducunt, quod Euſthatius in Odiſſeę Commentario Chartas veterum *Xylo Chartas* appellat, ad diſcrimen earum, quibus nunc utimur. Fuit iſte Euſthatius Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, & vixit Emanuelis Comneni temporibus, item & ſub Alexio Comneno circa annum Domini 750. Septimo ſæculo igitur à Chriſto nato juxta hanc ſententiam Charta fuit inventa; quod confirmari poſſe videtur ex eo, quod re-

refert Dau. Clerez, Genevæ ſcilicet aſſervari opera Homeri antè annos 800. in noſtra Charta ex linteis conſcripta: an autem circa hæc tempora charta inventa ſit, dubitanter affirmo, donec circa rem adeò obſcuram clarius aliquod lumen affulgeat. Illud ultimò tandem à te obſervari vellem, quod membranę illæ, quę Pergami ad ſcriptionem præparabantur, erant coloris lutei, ſeu crocei. Romæ poſteà candidæ factæ ſunt, quæ cum facilè ſordeſcerent, facilèque aciêm legentium læderent, rurſus lutei coloris fieri cœperunt; non tamen ex utraque parte luteo inficiebantur colore, ſed erant ex una parte infectæ, ex altera nativum ſervabant colorem; Undè bicolores dicebantur à Perſio.

Iam liber, & poſitis bicolor membrana Capillis.

Purpureo tingebantur colore hujuſmodi membranę, *ut in ipſis aurum, & argentum liqueſcens pateſceret in litteris*, inquit Iſidorus; Hinc Martialis.

VI-

Ultrò purpureum petet libellum.

At non in purpureis ſolùm membranis ſcribebant olim antiqui, ſed & purpureis litteris, & librorum potiſſimùm inſcriptiones, minio ſcribere conſueverunt, unde idem Ovidius.

Nec titulus minio, nec cedro Charta notetur.

Imperatores etiam miniatis litteris reſcripta ſua conſignabant, ut in Principibus omnia ſemper majora, quam in privatis eſſe appareret, & Juris Conſulti, ut legibus ſuis majeſtas quodammodò accerſceretur, illarum titulos, & Capita, minio, vel alio rubro colore ſcribebant; Unde poſteà rubricas, legum titulos appellarunt; Huic conſuetudini alludebat Perſius inquiens.

Excepto, ſi quid Maſuri Rubrica notavit.

Sed plura hęc de Charta rudi exarata ſtylo, nauſeam tibi fortaſſe, & ſtomachum movent.

Ingratum eſt quidquid nimium, ſic ſemper amarum eſt,
Ut vetus verbum eſt, mel quoque, cum nimium eſt.

Ea tamen ſcias in meę erga te obſervantię ſignum, & argumentum exarata, dum enim ut tibi morem gererem, irrito quærebam conatu primum Chartę Inventorem, ſtylum attraxit invitatrix illa pulchritudo Chartarum, quę utinam te quoque ad ſcribendum invitet; neque enim dubito, quin eruditis tuis inſcripta notis *Charta* in maximum cedat rei litterariæ commodum, & augumentum. Vale, meque amare ne deſinas. Dabam Ferrariæ die 28. Decembris 1698.

FINIS.

Z 1076. 1

99 9589

MC